Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26345
Copyright: Admont, Benediktinerstift

expectant · et tunc propius accedentes stant per ordinem inclinati adiuncto
magistro usque dum omnes transierint · Quando autem fratres pransuri ante
conventum exeunt de ecclesia · et lotis manibus ad lavatorium suum pergunt
ad coquinam · ut singuli fabas suas apportent · Ad generale quoque ap
portandum et ad pulmentum tot surgunt quot opus fuerit · et ille vo
luerit qui in loco cellarii eis servit · Hoc etiam eis est observandum
ut pulsationem scille sue ita communi fratrum pulsationi coequent ·
ut non prius incipiant · sed tamen citius finiant · Ante refectionem autem
unus eorum librum accipit · et tamdiu legit · quousque eum magister eorum presi
dens ad scillam cessare iubet · Qui cum ceteris manducans · iuxta
finem refectionis iterum surgit · et parum legit · et cum Tu autem lecti
onem finit · His autem aliisque modis prout possunt eam imitantur disci
plinam · quam nos in refectorio habemus · Sed et hoc est eis sciendum
quod post refectionem ibi in cella debent finire absque psalmo versu
sic · ut primum ad locum inclinationis veniant · quam conventus de
refectorio transeat · Qui videlicet locus est ante refectorium · ubi
post singulas refectiones debent inclinati stare · et ordinati ab
ostio refectorii usque ad gradum dormitorii · conventu de refec
torio exeunte · similique ante eos inclinatione transeunte ·
Quem et ipsi subsequuntur simul cantantes psalmum quem prius preter
miserunt · Quocumque autem [illegible] habent pariter ire magister
eos debet precedere · et cum [illegible] inclinantibus ubique pariter
inclinare · Si quis eorum de ecclesia ad cellam ipsorum ire voluerit · non
presumit nisi vel uno socio secum assumpto · et si nox est non sine lumine ·
Ad collationem fratrum conveniunt · Inde surgente conventu ·
ipsi inclines stant · in eodem loco ubi sederunt · usque dum omnes
pertranseant · Quando alii ad mandatum vel infra collationem
bibunt · ipsi in cellam suam divertentes idem faciunt · Sane